JEREMIAS REDIVIVUS

SEU LAMENTATIONES

SUPER

MALA QUIBUS PREMITUR ECCLESIA DEI

ET ORATIONES OPPORTUNÆ

EX S. SCRIPTURA DEPROMPTÆ

OPUSCULUM

A REV.MO EPISCOPO MONTISREGALIS

EDITUM



MONTEREGALI

EXC. JOS. BIANCO IMPRESS. EPISC.

MDCCCLXXI

PROŒMIUM

Jam inde ab ipsis primordiis, quibus rerum italicarum perturbatores maxima quaeque gentis felicitatem portendentia pollicebantur, non defuere qui, prudentia praediti atque experientia edocti, innumera mala inde secutura praedicerent; illud enim semper fuit huiusmodi nefariorum ac seditiosorum hominum ingenium, ut omnia evertant, nihil adstruant.

Nunc vero ad dolorem, quo boni afficiuntur, quod praevisas calamitates accidisse videant, novus accedit ex eo quod plerique, in tanta et continua rerum perturbatione, cum nullum non apidem movere possint ac debeant ad impiorum conatus refringendos, apathes omnino fiunt, atque certamen deserunt, domi se recipiunt, plures etiam, specie patientiae, suam segnitiem, turpem ignaviam, inhonestumque sui amorem produnt.

Horum socordiam nos excitare cupientes, eosque alacriores reddere ad imitandam catholicorum ferventissimorum diligentiam, quibus mala in dies excrescentia ad religionis patriaeque bonum promovendum vires addunt, hanc nobis opellam edendam putavimus, ut Christifidelium oculis et meditationi subiiciantur aerumnae, quas in praesenti Ecclesia patitur, precesque ad Deum fundantur, ut opem laboranti afferre dignetur.

Ad primum finem lamentationes, quibus cuiusque zelus iure expleatur, ad alterum pedisequae orationes spectant.

Non diffitemur tamen, vix ullum nostrum meritum huic opusculo inesse; nam fere omnia in rem nostram derivavimus ex opere P. Ramelli viri doctissimi e Reformatorum familia, quod Vercellis prodiit anno 1793, *quasi appendix excellentis illius libri, cuius titulus:* Orazione sopra la sacra lega de'Valsesiani contro l'eretico Dulcino e seguaci.

Ex anno praedicto quisque arguere potest hanc appendicem eo spectasse, ut malorum colluvies defleretur, quae ab illa, si ita loqui fas est, futurarum seditionum matre tota Gallia manavit; quare leve negotium nobis fuit demere vel addere quae opus erant, ut editio nostra

huc evaderet, nempe ad commiserandas ruinas quae ab illius matris filia Italiae fuerunt illatae. Ut enim eaedem caussae eosdem semper pariunt effectus, ita similia similibus sunt curanda.

Utinam huiusmodi quoque parvum opus ad maiorem Dei gloriam, ad benevoli lectoris solatium , nostraeque sanctissimae Religionis conferat incrementum.

Monteregali, die 4 novembris 1871.

✝ FR. JOANNES THOMAS
EPISCOPUS MONTISREGALIS

LAMENTATIO I.

Vae coronae superbiae. Isai. cap. 28. v. 1.

Vir vanus in superbiam erigitur, et tanquam pullum onagri se liberum natum putat (1). Nunc confortata est superbia, et castigatio et tempus eversionis et ira indignationis (2). Fremunt et ululant filii superbiae: Pharaonis, Nabuchodonosoris, Antiochi atque Nicanoris pravam secuti viam, sublimes oculos circumferentes iniquitatem loquuntur in excelso (3). In superbia elevatum est cor eorum super fratres suos (4). Cum summa superbia erecti cogitaverunt commune trophaeum statuere de throno David, de Domo Juda, de populo Israel (5). Propter mentis elationem terram ad navigandum, pelagum vero ad iter agendum se deducturos existimant (6). Superbe locuti sunt se venturos Romam, et congeriem

(1) Iob. cap. 11. v. 11. (2) 1 Machab. c. 2. v. 49. (3) Psalm. 30. v. 19. (4) Deuter. c. 17. v. 20. (5) 2 Machab. c. 15. v. 6. (6) 2 Machab. c. 5. v. 21.

sepulchri Romanorum se esse facturos (1). Superbe locuti sunt, se omnes Deos exterminaturos, ut ipsi soli dicantur Dii (2). Superbe locuti sunt: Quis detrahet nos in terram (3)?

ORATIO

Domine Deus caeli et terrae, qui a throno Majestatis tuae, qui est in columna nubis (4), humilia benignus respicis, et alta a longe cognoscis, intuere superbiam eorum, et respice ad humilitatem nostram, et ostende, quoniam non derelinquis praesumentes de te, et praesumentes de se, et de sua virtute gloriantes humilias (5). Domine Deus veritatis, qui dixisti: Si inter sidera posueris nidum tuum (6), inde detraham te; et si ascenderit usque ad caelum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in finem perdetur; et qui eum viderant, dicent: Ubi est (7)? Leva manus tuas in superbias eorum; detrahe in terram, et disperde superbos mente cordis sui (8), et comminue eos ut pulverem

(1) 2 Machab. c. 9. v. 4. (2) Iudith c. 3. v. 13. (3) Abd. v. 3. (4) Eccli. c. 24. v. 7. (5) Iudith c. 6. v. 15. (6) Abd. v. 4. (7) Iob. c. 20. v. 6. (8) Psalm. 73. v. 3. et cant. Mariae.

ante faciem venti (1). Exaltare qui judicas terram: redde retributionem superbis (2), ut videant et sciant quia tu solus excelsus super omnes gentes, terribilis super omnes Deos. Domine Deus, cui semper humilium, et mansuetorum deprecatio placuit (3), exaudi preces servorum tuorum, qui abominantur signum superbiae (4), et expectant humiles consolationem tuam (5).

LAMENTATIO II.

Vae dissolutis corde, qui non credunt Deo.
Ecclesiastici cap. 2. v. 15.

Non est Deus in conspectu eorum: viae illorum inquinatae sunt in omni tempore (6), operti impietate sua (7), pingui cervice armati, erecto collo currunt adversus Deum, et contra Omnipotentem roborantur (8); aperiunt os suum in blasphemias; blasphemant nomen Dei, et tabernaculum ejus, et eos qui in caelo habitant (9). Dixerunt: Linguam

(1) Psalm. 17. v. 43. (2) Psalm. 93. v. 4. (3) Iudith c. 9. v. 16. (4) Esther c. 14, v. 16. (5) Iudith c. 8. v. 20. (6) Psalm. 10. v. 5. (7) Psalm. 72. v. 7. (8) Iob. c. 15. v. 25. (9) Apocal. c. 13. v. 6.

nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est (1)? Dixerunt: Quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso (2)? Dixerunt: In fortitudine manus nostrae cuncta fecimus, et in sapientia nostra intelleximus; et abstulimus terminos populorum, et principes eorum depraedati sumus (3); manus nostra excelsa, et non Dominus fecit haec omnia (4); dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob; oblitus est Deus, avertit faciem suam ne videat in finem (5). Intelligite insipientes; et stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat (6)?

ORATIO

Domine Deus omnipotens, qui imples coelum et terram (7), et in quo omnes vivimus, et movemur, et sumus (8), exurge, judica causam tuam; memor esto improperiorum tuorum; ne obliviscaris voces inimicorum tuorum (9); disperde linguas magniloquas (10); obstrue

(1) Psalm. 11. v. 5. (2) Psalm. 72. v. 11. (3) Isai. c. 10. v. 13. (4) Deuteron. c. 32. v. 27. (5) Psalm. 10. v. 2. et 93. v. 7. (6) Psalm. 93. v. 8. 9. (7) Ierem. c. 23. v. 24. (8) Act. c. 17. v. 28. (9) Psalm. 73. v. 22. (10) Psalm. 11. v. 4.

ora loquentium iniqua (1); contere caput dicentium: Non est alius praeter nos (2); confringe cornua incredulorum et blasphemantium (3), ut videant potentiam tuam, et cognoscant quia non est Deus, nisi tu (4). Servis vero tuis ostende lucem miserationum tuarum; eripe eos de hominibus blasphemantibus nomen, et testamentum, et populum sanctum tuum; da mercedem sustinentibus te, et dirige eos in viam justistiae et veritatis, et sciant omnes qui habitant terram, quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia. Tu es Deus solus (5); Deus noster in aeternum et in saeculum saeculi (6).

LAMENTATIO III.

Vae duplici corde, et labiis scelestis, et peccatori terram ingredienti duabus viis.

Eccli. cap. 2. v. 14.

Multae sunt insidiae hominis dolosi. Sicut enim eructant praecordia foetentium, et sicut perdix inducitur in caveam, et ut caprea in

(1) Psalm. 62. v. 12. (2) Eccli. c. 36, v. 12. (3) Psalm. 74. v. 11. (4) Eccli. c. 36. v. 12. (5) Psalm. 75. v. 10. (6) Psalm. 47. v. 15.

laqueum: sic et cor superborum et malignatium videns casum proximi sui. Bona enim in mala convertens insidiatur, et in electis ponit maculam. A scintilla una augetur ignis, et ab uno doloso augetur sanguis (1). Moliuntur sermones super oleum, et ipsi sunt iacula (2). Quandoque, ut perficiant simulationem, loquuntur fraudulenter ad ipsum Dominum; ut vacuam faciant animam esurientis, et potum sitienti auferant (3). Pacifice quidem loquuntur; at insidiantur in abscondito, quasi leo in spelunca sua, ut rapiant pauperem et interficiant innocentem (4); pacifice quidem loquuntur: ast eodem tempore scrutantur iniquitates, abscondunt laqueos, foveam fodunt (5). Pacifice loquuntur, ast os eorum concinnat dolos (6). Loquuntur pacem, libertatem, felicitatem, sed loquuntur lingua dolosa (7); venenum aspidum sub labiis ipsorum (8); interiora plena sunt dolo (9).

Sagitta vulnerans lingua eorum dolum locuta est; in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. Numquid

(1) Eccli. c. 11. v. 31. (2) Psalm. 54. v. 22. (3) Isai. c. 32. v. 6. (4) Psalm. 10. v. 9. (5) Psalm. 63. v. 7. et 141. v. 4. (6) Psalm. 49. v. 19. (7) Psalm. 108. v. 3. (8) Psalm. 13. v. 3. (9) Eccli. c. 19. v. 23.

super his non visitabo? dicit Dominus; aut in gente huiusmodi non ulciscetur anima mea (1)?

ORATIO

Ulciscere Deus justitiae, Deus veritatis, Deus sanctitatis, ulciscere; incidant in foveam quam fecerunt, et in verticem ipsorum iniquitas eorum descendat (2). In laqueo, quem absconderunt, comprehendatur pes eorum (3). Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum, exurge Domine; disperde universa labia dolosa (4). Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos (5); ego autem in te speravi; exaudi orationem meam; Protege me a conventu malignantium, qui abscondunt laqueos dicentes: Quis videbit nos? quique exacuunt ut gladium linguas suas, et intendunt arcum, ut sagittent in occultis immaculatum (6). Libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa (7).

(1) Ierem. c. 9. v. 8. (2) Psalm. 7. v. 17. (3) Psalm. 9. v. 16. (4) Psalm. 11. v. 4. (5) Psalm. 54. v. 24. (6) Psalm. 63. v. 5. (7) Psalm. 119. v. 2.

LAMENTATIO IV.

Vae vobis, viri impii.. qui polluitis domum Domini.
Ecclesiast. cap. 41. v. 11, et 2 Paralip. c. 36. v. 14.

Quanta malignatus est inimicus homo in sancto (1)! Viri impii convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius (2); extulerunt caput, et gloriati sunt dicentes: Haereditate possideamus sanctuarium Dei (3); quiescere faciamus omnes dies festos Dei in terra (4). Intrantes in templum eum superbia contaminaverunt illud. (5). Hostes manum suam mittunt ad omnia desiderabilia (6): sancta vasa contrectant indigne, et contaminant, furantur, et vendunt (7). Prohibent holocausta et sacrificia, et placationes fieri in templo Domini (8).

ORATIO

Ergone Deus repulisti in finem (9)? Tu elegisti domum istam ad invocandum nomen tuum in ea, ut esset domus orationis, et obsecrationis populo tuo; fac igitur vindictam

(1) Psalm. 73. v. 3. (2) Psalm. 2. v. 2. (3) Psalm. 82. v. 13. (4) Psalm. 73. v. 8. (5) Machab. c. 6. v. 2. (6) Ierem. Thr. c. 1. v. 10. (7) 2 Machab. c. 5. v. 16. (8) 1 Machab. c. 1. v. 47. (9) Psalm. 73. v. 1.

in hominibus, qui eam polluerunt; memento blasphemias eorum, et non dederis, ut permaneant (1); memento sanguinis innocentis, quem effuderunt per circuitum sanctificationis (2); memento haereditatis tuae, quam possedisti ab initio, quamque impii disperdere cogitaverunt. Exurge Deus in ira tua, et dissipentur (3) inimici templi sancti tui; vindica sanguinem sanctorum tuorum (4); pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti (5), ut videant, quia nomen tibi Dominus; tu solus sanctus, tu solus fortis, tu solus Altissimus in omni terra (6): ego autem adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo (7), et misericordias tuas in aeternum cantabo (8).

LAMENTATIO V.

Vae genti insurgenti super genus suum.
Judith. c. 16 v. 20.

Locuti iniquitatem, operati iniustitiam (9), populum tuum humiliaverunt, et Christi

(1) 1 Machab. c. 7. v. 37. (2) 1 Machab. c. 1. v. 39. (3) Psalm. 67. v. 2. (4) Apocal. c. 6. v. 10. (5) Psalm. 82. v. 14. (6) Psalm. 82. v. 19. (7) Psalm. 107. v. 2. (8) Psalm. 88. v. 2. (9) Psalm. 4. v. 5.

haereditatem vexaverunt (1). Fremuerunt dentibus et dixerunt: Devorabimus; en ista est dies, quam expectabamus: invenimus, vidimus (2). Concilium malignantium praevaluit, et super vestem Ecclesiae miserunt sortem, et vestimenta ejus diviserunt sibi (3). Multi tyranni sederunt in throno (4), et dixerunt: Sit fortitudo nostra lex justitiae (5); insidiemur sanguini nostro; abscondamus tendiculas contra insontem. Deglutiamus eum..... implebimus domos nostras spoliis.., marsupium unum sit omnium nostrum (6). Circumveniamus justum, quia contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis...; gravis est nobis ad videndus, quia dissimilis est aliis vita illius: videamus ergo si sermones illius veri sunt; contumelia et tormento interrogemus eum. Haec cogitaverunt, et haec fecerunt; excaecavit enim eos malitia eorum (7).

ORATIO

Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me (8)? Locuti vanitates, tota die meditati dolos (9).

(1) Psalm. 93. v. 5. (2) Ierem. Thren. c. 2. v. 16. (3) Psalm. 21. v. 19. (4) Eccli. c. 11. v. 5. (5) Sapient. c. 2. v. 11. (6) Proverb. c. 1. v. 12. 13. 14. (7) Sapient. c. 2. v. 21. (8) Psalm. 21. v. 2. (9) Psalm. 37. v. 10.

Amici et proximi mei inquirebant mala mihi, et quaerentes animam meam vim faciebant; multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui persecuti sunt me gratis (1). Domine, Deus salutis meae, pone lacrymas meas in conspectu tuo (2); dissipa consilia malignantium (3); proditorum cornua confringe: da illis opprobrium sempiternum (4). Redde illis septuplum in sinu eorum (5), improperium ipsorum quod exprobraverunt tibi, et plebi sanctae tuae. Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est (6). Deus adjutor meus in aeternum. Benedictus Deus, qui non amovit orationem, et misericordiam suam a me (7).

LAMENTATIO VI.

Vae filii desertores, ut faceretis consilium, et non ex me. Isai. cap. 30. v. 1.

De se nimium praesumentes, abundantesque in sensu suo (8) faciunt consilium, et

(1) Psalm. 118. v. 161. (2) Psalm. 55. v. 9. (3) Psalm. 82. v. 4. (4) Psalm. 77. v. 66. (5) Psalm. 78. v. 12. (6) Psalm. 61. v. 8. (7) Psalm. 65. v. 20. (8) Roman. c. 14. v. 5.

non ex Deo; ordiuntur telam, et non secundum spiritum ejus. Addunt peccatum super peccatum. Profundi corde, a Domino abscondunt consilium, dicentes: Quis novit nos (1)? Ideo ecce ego, dicit Dominus, admirationem faciam universae terrae miraculo grandi et stupendo (2); miscebo in medio eorum spiritum vertiginis (3); obstupescite, fluctuate, et vacillate, et inebriamini, et non a vino (4); audite audientes, et nolite intelligere, et videte visionem, et nolite cognoscere (5). Ubi nunc sunt sapientes huius saeculi? Periit sapientia a sapientibus, et intellectus prudentum est absconditus (6). Inter sanctum et profanum, inter pollutum, et mundum non intelligunt (7). Per diem incurrunt tenebras, et quasi in nocte sic palpant in meridie (8). Facta est eis veritas in oblivionem; judicium conversum est retrorsum, et justitia longe stat ab eis (9). Ova aspidum ruperunt; telas araneae texuerunt; telae eorum non erunt in vestimentum; et qui comedent de ovis eorum, morientur (10). Opus eorum opus

(1) Isai. c. 29. v. 15. (2) Ibid. v. 14. (3) Isai. c. 19. v. 14. (4) Isai. c. 29. v. 9. (5) Isai. c. 6. v. 9. (6) Isai. c. 29. v. 14. et c. 19. v. 12. (7) Ezech. c. 22. v. 26 (8) Job c. 5. v. 14. (9) Isai. c. 59. v. 14. 15. (10) Ibid. v. 5. 6.

iniquitatis, quod non facit caput et caudam (1); errant, et errare faciunt populum, sicut ebrius et vomens.

ORATIO

Expectavimus lucem, et ecce tenebrae: expectavimus judicium, et non est; salutem, et elongata est (2). Justus es, Domine, qui apprehendis sapientes in astutia, et consilium pravorum dissipas, ne possint implere manus eorum, quod ceperunt (3). Domine, Deus omnipotens, qui odisti omnes qui operantur iniquitatem, et ambulant fraudulenter (4), praecipita consilium, quod malignaverunt supra populum tuum, et adversus sanctos tuos, et simul adversum te testamentum disponentes (5): Consiliarios superbos sed insipientes, qui habitas in caelis irride et subsanna (6). Ego vero odivi Ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo (7); pars mea Deus in aeternum; lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis; juravi et statui custodire judicia justitiae tuae (8).

(1) Isai. c. 19. v. 15. (2) Ibid. v. 14. (3) Isai. c. 59. v. 9. 11. (4) Job c. 5. v. 12. (5) Psalm. 5. v. 7. et Proverb. c. 20. v. 19. (6) Psalm. 82. v. 4. 6. (7) Psal. 25. v. 5. (8) Psal. 118. v. 105 et 106.

LAMENTATIO VII.

Vae prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident.
Ezech. cap. 13. v. 3.

Sinite illos: caeci sunt, et duces caecorum (1). Non intrant per ostium, sed ascendunt aliunde; mercenarii sunt et latrones (2). Quod infirmum est non consolidant; quod aegrotum non sanant, quod confractum non alligant (3); lac vero comedunt, lanis operiuntur, quod crassum est occidunt, lupi rapaces non parcunt gregi (4). Magistri mendaces introducunt sectas perditionis (5). Operarii subdoli transfigurant se in apostolos Christi (6). Domus subvertunt, docentes quae non oportet, turpis lucri gratia (7); hypocritae tristes claudunt regnum caelorum; nec ipsi intrant, nec introeuntes sinunt intrare (8). Ego non misi eos, et non praecepi eis, et tamen audent dicere: Ait Dominus, cum ego non sim locutus (9). En tempora periculosa a Paulo praenunciata, in quibus praevalent

(1) Matt. c. 15. v. 14. (2) Joan. c. 10. v. 1. (3) Ezech. c. 34. 4. (4) Act. c. 20. v. 29. (5) 2 Petr. c. 2. v. 1. (6) 2 Corint. c. 11. v. 13. (7) Ad Tit. c. 1. v. 11. (8) Matth. c. 23. v. 13. (9) Ezech. c. 14. v. 9. et 34. v. 2.

homines cupidi, elati, superbi, blasphemi, scelesti, protervi, incontinentes, immites (1); qui mordent dentibus suis, et praedicant pacem, et si quis non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant super eum praelium (2); in muneribus judicant, in mercede docent, in pecunia divinant, et super Dominum requiescunt dicentes: Numquid non Dominus in medio nostrum? non venient super nos mala (3).

ORATIO

Domine, Deus exercituum, induere vestimentis ultionis (4); excita furorem, effunde iram, afflige inimicum, tolle adversarium (5); tolle furem, tolle lupum. Summe et aeterne Pastor bone animarum, judica inter pecus et pecus (6), inter pastorem et mercenarium, et salva gregem tuum, et non sit ultra in rapinam. Sit brachium tuum extentum super Prophetas, qui vident vana, et divinant mendacium; in scriptura domus Israel non scribantur (7); eo quod deceperint populum

(1) 2 Timoth. c. 3. v. 5. 6. (2) Mich. c. 3. v. 5. (3) I d. v. 11. (4) Isai. c. 59. v. 17. (5) Eccli. c. 36. v. 8. 9. (6) Ezech. c. 34. v. 17. (7) Ezech. c. 13. v. 8.

meum, dicentes, pax, et non est pax. Ciba eos absinthio, et pota eos felle; a pseudoprophetis enim egressa est pollutio (1) his, qui blasphemant te, dicunt: Locutus est Dominus (2); et omni, qui ambulat in pravitate cordis sui, dicunt: Non veniet super vos malum.

LAMENTATIO VIII.

Vae mihi, ut quid natus sum videre contritionem populi mei? 1 Machab. cap. 2. v. 7.

Vae nobis, deprecantes in jejuniis, sacco, et cinere (3). Plorant inter vestibulum, et altare Sacerdotes fideles, et Pastores boni (4); Vae nobis, ut quid nati sumus videre contritionem populi nostri, et sancta in manu extraneorum (5), et templum factum sicut homo ignobilis, et vasa gloriae eius abducta et pastophoria diruta, et in atriis virgulta nata sicut in saltu (6), et sabbata conversa in opprobrium, honores in nihilum (7)? Vae nobis, versus est in luctum chorus noster (8),

(1) Ierem. c. 23. v. 15. (2) Ibid. v. 17. (3) Daniel. c. 9. v. 3. (4) Ioel. c. 2. v. 17. (5) 1 Machab. c. 2. v. 8. (6) 1 Machab. c. 4. v. 38. (7) 1 Machab. c. 1. v. 41. (8) Orat. Ierem. v. 15. 16.

cecidit corona capitis nostri; quos educavimus, et enutrivimus, inimicus noster consumpsit eos (1); et traditus est in opprobrium et in indignationem furoris Rex et Sacerdos (2). Vae nobis, egressus est omnis decor a filia Sion; facti sunt Principes ejus velut arietes non invenientes pascua; et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis (3); omnia speciosa Iacob vindemiata, trucidati juvenes et senes in plateis (4); et domina gentium, quae sub rege erat libera, sub tyrannis populi facta est ancilla (5).

ORATIO

Vide, Domine, afflictionem nostram, quoniam erectus est inimicus (6), qui vult delere haereditatem tuam (7); et nunc, Domine, miserere, ne despicias partem tuam. Miserere nostri, Domine, quia multum repleti sumus despectione (8). Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus; at reminiscere miserationum tuarum, quae a

(1) Ierem. Thr. c. 2. v. 22. (2) Ierem. Thr. c. 2. v. 6. (3) Ierem. Thr. c. 1. v. 6. (4) 1 Machab. c. 2. v. 9. (5) Ierem. Thr. c. 1. v. 1. et 1 Machab. c. 2. v. 11. (6) Ierem. Thr. c. 1. v. 20. (7) Esther. c. 13. v. 15. 16. (8) Psalm. 122. v. 3.

saeculo sunt (1). Ut quid Domine repellis orationem nostram? Numquid mortuis facies mirabilia (2)? De profundis clamamus, clamamus die ac nocte, expandentes manus et corda. Parce, Domine, servis tuis, parce populo tuo, et ne des haereditatem tuam in opprobrium (3). Congrega dispersiones Israelis (4), et induc eum in terram nativitatis suae cum pace et gaudio. Quod periit require, confractum alliga, infirmum consolida, pingue et forte custodi (5); et nos confitebimur tibi, quoniam bonus, quoniam in saecula misericordia tua (6). Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine; castigans castigavit, et morti non traddit nos; vivemus, et narrabimus opera Domini, qui facit magna, et incomprehensibilia, et mirabilia, quorum non est numerus (7).

(1) Psalm. 24. v. 6. (2) Psalm. 87. v. 11. (3) Ioel. c. 2. v. 17. (4) Psalm. 146. v. 2. (5) Ezechiel. cap. 34. v. 16. (6) Psalm. 117. v. 1. 8. 18. (7) Iob. cap. 9. v. 10.



LAMENTATIO IX.

Et vidi et audivi vocem unius aquilae volantis per medium coeli dicentis voce magna: Vae, vae, vae. Apocalyp. c. 8. v. 13.

Vae civitati sanguinum (1), cuius muros die ac nocte circumdat iniquitas, et injustitia occupat portas, et in medio ejus conturbatio super conturbationem, auditus super auditum (2); quippe irruit populus, vir ad virum, et unusquisque ad proximum suum; tumultuatur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem (3). Civitas illa magna facta est habitatio omnium daemoniorum, et custodia omnis spiritus immundi (4). Pervenerunt peccata ejus usque ad caelum (5); propterea haec dicit Dominus Deus: Vae civitati sanguinum, cuius ego grandem faciam pyram (6); exite de illa populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis (7).

Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis (8), qui spreverunt sanctuaria, polluerunt sabbata, et

(1) Ezech. c. 24 v. 6. (2) Ezech. c. 7. v. 26. (3) Isai. c. 3. v. 5. (4) Apocalyp. c. 18. v. 2. (5) Ibid. v. 5. (6) Ezech. cap. 24. v. 9. (7) Apocalyp. c. 18. v. 4. (8) Isai. cap. 1. v. 4.

calumniabantur et diripiebant violenter (1), et effundebant sanguinem innocentem per circuitum sanctificationis (2), blasphemantes nomen Dei, et sanctum Israel (3). Propter hoc ait Dominus Deus exercituum, fortis Israel: Heu consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis (4).

Vae vobis, qui condidistis leges iniquas, et scribentes injustitiam, et impietatem scripsistis, vim facientes causae humilium populi mei (5), ut sint praeda vestra Rex et Sacerdos, civis et advena: qui patriam religionem nihili habentes (6), et omnium nationum instituta optima arbitrantes, catholicae et Apostolicae Romanae fidei professores compulistis impio decreto, ut se transferant a Dei legibus (7), sacrificantes idolo libertatis; et qui nolunt sacrificare, dure vexantur. Vae vobis, quid facietis in die visitationis et calamitatis de longe venientis? ad cuius confugietis auxilium, et ubi derelinquetis gloriam vestram (8)? Gloria peccatoris stercus et vermis est (9).

(1) Ezech. c. 22. v. 29. (2) 1 Machab. c. 1. v. 29. (3) Isai. c. 1. v. 4. (4) Ibidem. v. 24. (5) Isai. c. 10. v. 1. (6) 2 Machab. c. 4. v. 15. 16. (7) Ibid. c. 6 v. 1. (8) Isai. c. 10. v. 3. (9) 1 Machab. c. 2. v. 62.

Vae vobis refugae legum, patriae, et civium hostes (1); Templi et Sanctorum proditores, qui Sacerdotio nihil dignum habentes (2), facti estis, et rete expandistis ad insidias populi. Ast in leges divinas impune agere non cedit (3), condignam Dominus retribuet poenam (4). Vos recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege, propter quod dabo vos contemptiebiles, et humiles omnibus populis (5), dicit Dominus exercituum.

LAMENTATIO X.

Confortamini et bellate. 1 Reg. c. 4. v. 9.

Exierunt ex Israel filii iniqui, velamen habentes militiae libertatem (6), et suaserunt multis: Eamus, et disponamus testamentum cum omni populo et natione (7). Recesserunt a testamento sancto, aedificantes ubique gymnasia et aras secundum leges nationum (8). Veniunt in multitudine contumaci, et superbia (9): contaminant omnia, quae in

(1) 1 Machab. c. 5. v. 8. (2) Ibidem c. 5. v. 15. (3) 2 Machab. c. 4. v. 17. (4) Ibidem v. 38. (5) Machab. c. 2. v. 2. 3. 8. 9. (6) 1. Petr. c. 2. v. 6. (7) 1 Mach. c. 1. v. 12. (8) Ibidem v. 15. (9) 1 Machab. c. 3. v. 20.

circuitu sanctorum sunt, et inferunt plagam magnam (1), pretiosa et desiderabilia quaeque asportant, caetera comminuunt (2). Leonum more irruentes (3) succendunt civitates, destruunt domos, pecora accipiunt, faciuntque caedes magnas juvenum et seniorum, mulierum et natorum exterminia, virginumque et parvulorum neces (4). Sacerdotes facti sunt in luctum et in humilitatem (5). Principes inglorii, et seniores ingemiscunt; speciositas mulierum immutata est (6); universa domus Iacob induit confusionem (7), et commota est terra a facie tantae multitudinis, ut sonantis maris (8). Nunc ergo confortamini, viriliter agite (9); date animas vestras pro testamento sancto; Mementote operum patrum, quae fecerunt in generationibus suis, et accipietis gloriam magnam et nomen aeternum (10); *mementote. quod civitas sancta et templum periclitatur* (11); mementote quia omnes, qui sperant in Domino, non infirmantur (12).

(1) 1 Machab. v. 15. (2) Ibidem c. 1. v. 23. (3) 2 Machab. c. 11. v. 11. (4) Ibid. c. 5. v. 13. (5) 1 Machab. c. 3. v. 51. (6) Ibid. c. 1. v. 27. (7) Ibid. v, 19. (8) Isai. c. 17. v. 12. (9) 1 Machab. c. 3. v. 18. 19. (10) Ibid. v. 50. 51. (11) 2 Machab. c. 15. v. 17. (12) 1 Machab. c. 2. v. 61.

ORATIO

Domine, Deus exercituum, quis resistet tibi (1)? de coelo auditum fac judicium tuum; tona supra inimicos templi, et testamenti, et nominis sancti tui. Loquere ad eos in ira tua, et in furore tuo conturba eos (2); erige brachium tuum, allide virtutem eorum in virtute tua, et cadat in iracundia tua virtus eorum, qui confidunt in multitudine sua, et in curribus, et in scutis, et in sagittis, et lanceis suis gloriantur (3); et nesciunt, quia tu ipse es Deus noster, qui conteris bella ab initio; et Dominus nomen est tibi. Fiant tamquam pulvis ante faciem venti, et Angelus Domini coarctans eos (4); et cognoscant, quia non est alius Deus justus, fortis, terribilis (5), sicut Deus noster

LAMENTATIO XI.

Oratio Christi fidelium ad Deum.

Et nunc clamemus ad Dominum (6), et fusis lacrymis indulgentiam ejus postulemus (7),

(1) Psalm. 75. v. 8. (2) Psalm. 2. v. 5. (3) Iudith. c. 9. v. 9. 10. 11. (4) Psalm. 34. v. 5. (5) 2 Machab. c. 1. v. 24. (6) 1 Machab. c. 4. v. 10. (7) Iud. c. 8 .v. 14.

quoniam misericors et patiens est. Recordare, Domine, quid acciderit nobis ; intuere et respice opprobrium nostrum (1). Congregati, et multiplicati sunt inimici nostri, et tu scis quae et quanta mala cogitant in nobis, et in templo sancto tuo (2). Nituntur ejicere nos de possessione, quam tradidisti nobis (3); extranei facti sumus fratribus nostris, et peregrini filiis matris nostrae (4); traditi sumus, ut conteramur, et jugulemur, et pereamus (5). A facie irae et indignationis tuae cinerem tamquam panem manducamus, et potum cum fletu miscemus (6). Justus es, Domine, et rectum judicium tuum (7). Vanitate seducti non custodivimus mandatum tuum, et caeremonias, et judicia, quae praecepisti (8), praevaricati sumus inique (9). Ast miserationes tuae super omnia opera tua (10). Memento verbi, quod mandasti Moysi servo tuo, dicens : Cum transgressi fueritis, ego dispergam vos in populos ; et si revertamini ad me, etiamsi abducti fueritis ad extrema coeli, inde congregabo vos, et reducam

(1) Orat. Ierem. v. 1. (2) 1 Machab. c. 3. v. 52. (3) 2 Paralip. c. 20. v. 11. (4). Ps. 68. v. 9. (5) Esth. c. 7. v. 4. (6) Psalm. 101. v. 10. (7) Psalm. 118. v. 37. (8) Esdr. c. 1. v. 7. (9) 2 Paralip. c. 36. v. 14. (10) Psalm. 144. v. 9.

ad locum meum et vestrum. Obsecramus, Domine, sit auris tua attendens ad orationem servorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum. Dirige servos tuos in viam veritatis, justitiae, et pacis (1). Sacerdotes tui induantur salutem, et sancti tui laetentur in bonis (2). Redde illis laetitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma eos (3). Dominator coelorum, mitte Angelum tuum bonum ante nos in timore et tremore magnitudinis brachii tui, (4) ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum. Accendatur in eos velut ignis zelus tuus (5); da illis secundum opera eorum, et secundum nequitiam adinventionum ipsorum (6). Divide et praecipita linguas eorum (7); percute eos in posteriora (8), et gladius eorum intret in corda ipsorum, et arcus eorum confringatur (9). Usquequo exaltabitur inimicus (10)? usquequo, Domine, gloriabuntur, et loquentur iniquitatem, qui operantur injustitiam (11)? usquequo patieris hoc scandalum (12)? Attendite popule fidelis. Haec dicit Dominus:

(1) 2 Esdr. c. 1. v. 8. 9. 11. (2) 2 Paralip. c. 6. v. 41. (4) Psalm. 50. v. 13. (3) 2 Machab. c. 15. v. 23. (5) Psalm. 78. v. 5. (6) Psalm. 27. v. 4. (7) Psalm. 54. v. 10. (8) Psalm. 77. v. 4. (9) Psalm. 36. v. 15. (10) Psalm. 2. v. 3. (11) Psalm. 9. v. 3. 4. (12) Exod. c. 10. v. 7.

prope est ut veniat tempus (1); miserebitur Dominus Jacob, et salvabitur Israel; dabit illi requiem a labore suo, a concussione sua, a servitute sua (2); civitatem sublimem humiliabit, et detrahet eam usque ad pulverem (3), conteret brachium impiorum, virgam dominantium persequentem crudeliter (4). Confidenter state, et eritis capientes eos, qui vos ceperunt, et subiicietis exactores vestros (5).

Domine, Deus noster, exaltabimus te, et confitebimur nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles. Amen (6). Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in saeculum misericordia ejus (7). Benedictus Dominus in aeternum: fiat, fiat (8).

In his faciam finem sermonis:
et si quidem bene, hoc et ipse velim:
sin autem minus digne, concedendum est mihi.
2 Machab. cap. 15. 3. 38. 39.

Omnia catholicae Ecclesiae, ejusque in terra conspicui R. Pontificis judicio subjecta sunto.

(1) Isai. c. 14. v. 1. (2) Ibid. v. 3. (3) Ibid. c. 26. v. 5. (4) Ibid. c. 14. v. 5. 6. (5) Ibid. v. 2. (6) Isai. c. 25. (7) Psalm. 117. v. 4. (8) Psalm. 88. v. 50.